rat: ut sine vi & armorum strepitu, nudâ voce, Christiani fierent, numeroso grege ad Christi ovile aggregati. Iterum, in admirationem quasi raptus, exclamo: O pignus haereditatis nostrae pretiosissimum! O & sigillum restitutorum bonorum omnium certissimum! Exspaciamini mecum, A. Sv. cogitationibus vestris in patentissimum Antiqvitatum Romanarum campum, & considerate mihi priscum tradendorum in conciliandâ pace, aut paciscendis induciis obsidum morem. Nonne Populo R. hic mos erat: ut hostibus non modò pro captivis redimendis, proq; induciis paciscendis, sed pro pace etiam componenda darentur obsides, vel inde, qvod obsidionis causa dari solerent, vel qvod ob fidem, juxta Festum, darentur, dicti. Dabantur utiq; obsides, & qvidem eum in finem dabantur: ut in eos, qvi initi foederis rationes ac praecepta transgrediebantur, eò gravius animadverterent prisci, illiq; & ipsi, qvi foedus inierant de servando illo admonerentur. At qvem nos novô foedere denuò cum offenso DEO pactô, accepimus obsidem? Obsidem accepimus in ipso Pentecostes N. T. Festo S. S. Is certè, posteaqvàm vel semel in sarciendâ spirituali pace, inq; novis paciscendis induciis; qvae & ipsae spirituales erant futurae, visibili effusione sese stitisset, à peccati, à mortis ac Satanae devio itinere nos abducere, ipseq;